

Zeitschrift: Der Geschichtsfreund : Mitteilungen des Historischen Vereins Zentralschweiz

Herausgeber: Historischer Verein Zentralschweiz

Band: 30 (1875)

Artikel: Der Kirchensaz zu Willisau gelangt an den Spital in Luzern (1417)

Autor: [s.n.]

DOI: <https://doi.org/10.5169/seals-112893>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist die Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften auf E-Periodica. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Zeitschriften und ist nicht verantwortlich für deren Inhalte. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern beziehungsweise den externen Rechteinhabern. Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen sowie auf Social Media-Kanälen oder Webseiten ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. [Mehr erfahren](#)

Conditions d'utilisation

L'ETH Library est le fournisseur des revues numérisées. Elle ne détient aucun droit d'auteur sur les revues et n'est pas responsable de leur contenu. En règle générale, les droits sont détenus par les éditeurs ou les détenteurs de droits externes. La reproduction d'images dans des publications imprimées ou en ligne ainsi que sur des canaux de médias sociaux ou des sites web n'est autorisée qu'avec l'accord préalable des détenteurs des droits. [En savoir plus](#)

Terms of use

The ETH Library is the provider of the digitised journals. It does not own any copyrights to the journals and is not responsible for their content. The rights usually lie with the publishers or the external rights holders. Publishing images in print and online publications, as well as on social media channels or websites, is only permitted with the prior consent of the rights holders. [Find out more](#)

Download PDF: 10.08.2025

ETH-Bibliothek Zürich, E-Periodica, <https://www.e-periodica.ch>

XII.

Der Kirchensaz zu Willisau gelangt an den Spital in Lucern.

1417, 11. und 17. Februar.

(Stadtarchiv Lucern).

Otto, Dei gratia, Electus confirmatus Constantiensis, omnibus et singulis, presentium inspectoribus, notiam subscriptorum cum salute. Noueritis et nouerint | omnes, quos nosce fuerit opportunum, quorumque interest intererit et interesse poterit quomodolibet nunc vel in futurum, quod hodierna die qua data presentium conscribitur, pro parte prouidorum | et circumspectorum virorum Sculteti et Consulum opidi Lucernensis, constantiensis diocesos, quoddam instrumentum publicum ut apparuit discreti viri Johannis Ratzinger clerici dicte diocesis | Imperiali auctoritate notarii jurati manu propria subscriptum ejusque signo solito signatum, in quo nominatim Sculteti et Consulum ac pociorum opidi predicti expressio fit specialis, | sanum integrum et illesum ac omni prorsus vicio carens et suspicione, Nobis porrectum, recepimus et perlegimus per omnia sui etiam subscriptione interserta, tenorem qui sequitur continens. | In nomine dominy Amen. per Hoc presens publicum instrumentum cunctis ipsum intuentibus pateat evidenter, quod sub anno a Nativitate ejusdem Millesimo quadringentesimo | decimo septimo, Jndictione decima, Apostolica sede pastore carente, die dominica undecima mensis Julij, hora primarum diei ejusdem uel quasi, in domo siue cenobio fratrum | minorum

oppidi Lucernensis Constantiensis diocesis et ibidem in Refectorio domus ejusdem, in testium meique Notarii publici subscriptorum presentia, personaliter ad sonum Campane ac ad actum | subscriptum perficiendum specialiter congregati atque constituti, prouidi ac sapientes viri Vlricus Walher Scultetus, Heinricus Wyssenwegen, Jacobus Menteller, | Johannes Grotz, Johannes Kramer, Rudolffus am len, Waltherus Bumbel, Johannes Kurtz, Johannes Föñ, Johannes Inher, Johannes Schmid, Heinricus de Lucern, Heinricus Walker, | Arnoldus de Esch, Heinricus de Meggen, Ludwicus de Gatwil, Nicolaus jm Bach, Arnoldus Nithart, Anthonius Krepsinger, Johannes Murer, Wer|nherus Spis, Johannes Wiechsler, et alii quamplures Consules et potentiores dicti Oppidi Lucernensis, suo nec non totius vniuersitatis Oppidi Lucernensis jam dicti | nomine et ab eadem vniuersitate ad subscripta peragenda omnimodam ut asseruerunt potestatem et auctoritatem Habentes, proposuerunt in persona Vlrici Walher Scul|teti predicti, quomodo et qualiter hospitale pauperum in dicto ipsorum oppido nimia necessitate cogente foret fundatum, ad quod peregrini et miserabiles persone per ipsorum presertim | oppidum et ultra montem sancti Gothardi itinerantes, limina beatorum Petri et Pauli principum Apostolorum ac sacram Romanam urbem uisitantes, in vite necessariis | deficientes, seu pre debilitate in itinere decumbentes, aliique pauperes desolati et infirmi non modicum habeant recursum, Cuius autem hospitalis fructus redditus | et prouentus adeo exiles forent, quod pro sustentacione Capellani siue presbyteri missam in dicto hospitali cottidie celebrantis, ac pauperum peregrinorum infirmorum | aliarumque miserabilium personarum in eodem degentium et ad id quasi cottidie affluentium, nullatenus sufficere possent neque valerent, nisi animo et Notabili | Consulum et vniuersitatis predictorum subsidio interueniente; Quare ut futuris temporibus eidem Capellano ac pauperibus egris infirmis et peregrinis | in dicto Hospitali degentibus et ad id confluentibus, de vite necessariis aliqualiter vberius prouideatur, prenominati Scultetus et Consules suo nec non dicte | vniuersitatis nomine et pro eis ac pro se ipsis et eorum successoribus singulis et vniuersis, matura ut asseruerunt deliberacione cum dicta ipsorum universitate prehabita, | non vi

nec metu coacti, nec aliquo malo dolo seu ingenio circumuenti, sed pia moti deuotione, pure propter Deum, ac ob suarum et antecessorum suorum animarum | remedium et salutem, Juspatronatus parochialis ecclesie in Willisow dicte Constantiensis diocesis, ad ipsos ut asseruerunt pleno jure pertinens, nec non mansum nuncupatum | des Kerpfennings hub, super quo jam dicta ecclesia existit dotata, cum ipsorum fructibus, pertinentiis et redditibus universis, ac omne jus ipsis in eisdem modo quo-uis | competens, prefato Hospitali nec non Wernhero de Meggen, Sindico et procuratori dicti Hospitalis et ejus nomine presenti, et hujusmodi donationem nomine jam dicti hos|pitalis recipienti, coram testibus et me Notario publico subscripto libere donatione perfecta et Jrrevocabili, Que dicitur inter vivos et alias via modo et forma | melioribus quibus potuerunt, ut et tanquam piis loco et personis, tradiderunt donaverunt sustulerunt et assignarunt, ad laudem domini nostri Jesu Christi et glori|o-sissime sue genitricis, nec non in profectum predictorum Capellani et pauperum presentium et futurorum. Volentes et ordinantes suo et quo supra nomine, ut Hospitale | predictum Juspatronatus et mansum des Kerpfennings hub prenominatos, cum fructibus proventibus redditibus et Juribus prespecificatis et ab ipsis abdicatis ac in dictum Hospitale pleno jure translatis, ex nunc et in antea perpetuis temporibus ad pauperum in eodem degentium mensam, nec non pro sustentatione eorumdem et Capel|lani predicti, habeat teneat et possideat eo jure, quo ipsi eosdem juspatronatus et mansum hactenus et huc vsque habuerunt tenuerunt et possiderunt, nullo jure ipsis nec eorumdem successoribus in eisdem aliquatenus retento uel obseruato. Et ut premissa omnia et singula debitum suum sortiantur effec-tnm, et in robore perpetue | firmitatis persistant, promisit pre-nominatus Vlricus Walher Scultetus suo nec non Consulum et vniversitatis predictorum nomine, Consulibus jam dictis | pre-sentibus, ac suo et jam dicte universitatis nomine, hujusmodi promissionem approbantibus et ratificantibus, per fidem suam nomine juramenti jn manus mei | notarii publici subscripti pre-sentis stipulantis et recipientis vice et nomine omnium et sin-gulorum, quorum interest uel intererit nunc aut in futurum, prescriptam | donationem et traditionem nec non omnia et singula

in presenti Instrumento contracta rata habere perpetuo atque firma, nec contra ipsa quomodolibet facere uel venire, per se vel interpositas personas, nec contra venire volentibus aliquatenus consentiens in judicio vel extra judicium imposterum vel ad presens de facto vel de jure, quo | uis quesito Jngenio vel colore. Renunciaverunt insuper Scultetus et Consules prenominati pro se et dicta vniuersitate, nec non pro omnibus et singulis ipsorum | successoribus quo ad premissa ex certa scientia, coram me notario publico et testibus subscriptis, omni juri et juris auxilio tam canonici quam civilis, omni privilegio, | omni gratie, omni exceptioni doli mali fraudis et deceptionis, actioni infactum, appellacioni, Jn integrum restitucioni, Et generaliter omnibus aliis et singulis Jure | (Juris.) et facti remedii et auxiliis, quibus mediantibus contra premissa modo quoquis facere seu venire, aut ea in toto vel in parte aliquatenus cassare, annullare | seu retractare possent nunc vel in futurum, dolo et fraude in hiis omnibus et singulis circumscripsit penitus. Et ut de premissis vnum vel plura | publicum seu publica conficerem instrumentum seu instrumenta, prenominati Vlricus Walher Scultetus suo ac Consulum et vniuersitatis, nec non Wernherus de | Meggen sindicus et procurator dicti hospitalis suo et jam dicti hospitalis nominibus, me notarium publicum subscriptum jnstanter requisiverunt. Acta sunt hec | anno domini, Jndictione, sede apostolica vacante, mense, die, hora et loco prescriptis, presentibus honorabilibus et discretis viris domino Conrado Schnartwil decano | decanatus, Magistro Johanne Recher Rectore Scholarum oppidi, Martino Goltsmid de Rauensburg socio in divinis ecclesie parrochialis Lucernensis, nec non Religiosis | fratribus Johanne Spiller vicegardiano, Johanne Bentzen conventuali domus fratrum minorum Lucernensium, et constantiensis diocesis predictarum testibus ad premissa vocatis et requisitis. | Tenor vero Subscriptionis sequitur et est talis. Et ego Johannes Rattinger clericus Constantiensis publicus imperiali auctoritate Notarius, Quia predictis donationi, translationi, | renuntiationi, omnibusque aliis et singulis, dum sic, ut premititur, agerentur et fierent, unacum prenominatis testibus presens interfui, eaque omnia et singula | sic fieri vidi et audivi, Ideoque hoc presens publicum instrumentum per alium fideliter

scribi procuravi, meque hic manu propria subscripsi, signoque et nomine | meis solitis et consuetis signavi, in fidem et testimonium omnium et singulorum premissorum Rogatus et requisitus. Quo quidem Instrumento sic nobis exhibito | et presentato, per nosque recepto viso et intellecto, ad humilem et solicitam pro parte dictorum Sculteti et opidanorum Lucernensium interpellationem inclinati, presertim ut donatorum | voluntas et donum recipientium reciproca affectionis compensatio inter utrosque de cetero non decrescant, sed subsstant et augeantur, utque talismodi donum perpetua roboris | gaudeat firmitate, cessionem, translationem et concessionem, ac alia omnia et singula, que et prout in dicto narrantur publico instrumento per ordinem, Nichil horum, | que in eodem exprimuntur dempto de peritorum consilio, et alias mature deliberati, Cum hec omnia prout ex tenore dicti claret instrumenti, non nisi ex pia sincera | et justa utrorumque tam donatorum quam donum recipientium intentione processerint, ac rite et canonice sint celebrata, Rata et grata habenda approbanda duxi | mus et ordinavimus, auctoritate presentibus approbamus Ratificamus gratificamus auttorizamus, et in Dei nomine confirmamus, Adhibitis Jn hiis et circa ea omnium et | singulorum Verborum et gestuum solempnitatibus et cautelis debit is et consuetis, Jn talibus de Juris necessitate adhibendis. Jn quorum testimonium et roboris perpetui | firmatatem, Sigillum nostrum episcopale presentibus fecimus subappendi. Datum Constantie Anno dñi millesimo quadringentesimo decimo septimo, xvij Kl. Augusti, | Jndictione decima.

Oben: Eine Maria mit dem Jesuſkind. Unten: Die Wappen des Stifts Constanz und Bischofs Otto von Hochberg. Von der Unterschrift liest man noch: S. Otton ia: epi: constanciensis.

